41

Breve que despacho su Santidad en fauor de la doctrina de San Auguſtin, y Santo Tomas, à la Uniuerſidad de Lobayna, aprouando, que haga jurar à los que en ella ſe graduan las propoſiciones definidas, ſegun la doctrina deſtos dos Santiſſimos Doctores en materia de auxilios.

ALEXANDER PAPA SEPTIMVS.

Dilecti filij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

LITERAS Veſtras die 20. Martij datas accepimus, & in eo ſane, quod quinque propoſitiones illas, tam in conſtitutione fœlicis recordationis Innocentij X. Predeceſſoris noſtri, quam in alia noſtra poſtea damnatas tantopere deteſtemini, vt neminem admittere ad gradus Academicos velitis, niſi prius religioſam obſeruantiam prædictarum conſtitutionum promittat, & iuret; obedientiam, & zelum veſtrum vnice commẽdamus, atque adeo ſperamus vos nedum id egregie, præſancteque impleturos, verumetiã omnibus alijs in hanc Sanctam Sedem obſervantiæ, & obedientiæ documentis effecturos: vt omni rerum præteritarum ex hominum animis euulſa, & penitus abolita memoria priſtinum decus exiſtimationi, & laudi antiquę veſtræ reſtituatur. Ad hanc igitur ſalutaris obſequij gloriam vere, cõſtanterque promerendam, quamuis vti credimus eximie currentes vos dilecti filij, etiam atque etiam quantum poſſumus hortamur in Domino. De reliquo non dubitamus quin vos pro ſingulari ſcientiæ, pietatiſque ſtudio ſanam, & incorruptam qualem tot Apoſtolicæ Sedis declarationes, & Sanctorum Patrum traditiones requirunt doctrinam ſemper amplexuri, & aduerſus orthodoxæ Religionis hoſtes defenſuri ſitis; nec non præclariſsimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum AVGVSTINI, & THOMÆ AQVINATIS inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata ſequi ſemper, vt aſſeritis, ac impenſe revereri velitis; quorum profecto ſanctiſsimorum virorum penes Catholicos vniuerſos ingẽtia, & omnia tandem ſupergreſſa nomina, noui præconij commendatione plane non egent. Porro bonorum omnium largitorem Deum oramus, vt vobis dilecti filij, cum pacis diuina tandem clementia reſtitutæ proſperitate celeſtis gratiæ munera tueri, & augere quotidie pro miſericordia ſua velit: ad quod fœliciter conſequendum Apoſtolicam benedictionem vobis permanenter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo piſcatoris die ſeptimo Auguſti M. DC. LX.

Granatæ, Ex Officina Balthaſaris de Bolibar, in vico de Abenamar.